Chladenius
GENTIS
Zaluscianae
ORACULA

GENTIS ZALVSCIAE ORACVLA

EI LITERARIAE AVSPICATISSIMA

RECENSVIT

ET

ORATIONEM

VARSAVIAE

IN CERTAMINE LITERARIO

RECITATAM

INSERVIT

ERNESTVS MARTINVS CHLADENIVS D

IVR. FEVD. PROF. PVBL. ET FACVLT

IVRID. ASSESSOR

VITEMBERGAE

PRELO SCHLOMACHIANO

MDCCXLVII

GENTIS

ZALVSCIAE ORACVLA

REI LITERARIAE AVSPICATISSIMA

Scilicet inania moliuntur, qui operosius disquirunt, cur edi quondam desierint oracula. Hercle nondum desierunt edi. Eduntur in hunc ipsum diem. Ne credar aenigmata loqui, aperiam, quid rei lateat. Salua adhuc apud SARMATAS est prisca illa oraculorum maiestas et sanctimonia. Ibi tripodes fatidici, ibi adyta, numine plena, ibi cortinae, ibi lauri loquaces, ibi reliqua oraculi

 supellex.

ſupellex. Crederes, Delphica ſede relicta, non, ut illi contendunt, euanuiſſe, ſed cum omni paratu ſuo huc commigraſſe, Apollinem, et perpetuum ſibi domicilium, ſedemque regiam, delegiſſe, LECHI REMPVBLICAM. Dabo rerum argumenta. An putes, auguſtius quicquam, aut illuſtrius, dici, uel cogitari, poſſe, quam Regem dari, qui praeſens in terris numen habeatur, ad cuius ſacrarium auguſti et laureati conſultores, ipſi terrarum et gentium uictores, confluant, et, ſiue foedera ſint icturi, ſiue bella capeſſituri, ſiue matrimonia aut ſibi, aut auguſtae ſoboli ſuae, pacturi, ſiue regnorum imperiorumque ſuccedaneos delecturi, ſiue aliud maximi moliminis opus meditentur, reſponſa petant, et, quod multo glorioſius reputandum, facile impetrent. Anne contenderes, ad oraculi omnino dignitatem maieſtatemque iſtiuſmodi Regem proxime accedere? At oſtentat SARMATIA, et in ſeculi gloriam oſtentat, AVGVSTVM TERTIVM, hac memorabilem laude, populorumque conſenſu quouis oraculo potiorem diuiniorremque; REGEM, quem non regna tantum et populi, ſed ipſi Regnatores, imo Superi, habent in deliciis.

Seruant uero, quod magni ingenii ſemper habitum fuit argumentum, ſeruant hunc morem LECHI NEPOTES, ut ad REGIS ſui exemplum ſe totos componant, et REGIAS VIRTVTES non admirentur tantum, ſed etiam, conatu generoſo, aemulentur.

aemulentur. Hinc, quot uideas REGNI PROCERES, totidem mireris oracula, totidem pectora, nûmen phoebeum ſpirantia. Eminet inter omnes, uti faſtigio, ita oraculi dignitate, Celſiſſimus Regni Primas, COMES SZEMBECKIVS, cuius reſponſa non Sarmatiae magis, quam regno literario, auſpicatiſſima eſſe gloriamur. Non unam, ſed utramque, in utriuſque regni diurnis, paginam illa occupant. Ex horum multitudine unum depromo, quo praeſertim recreata eſſe intellexi ſtudia, refectas literas, excitata ingenia. Celebratur iam hominum omnium ſermonibus Bibliotheca Zaluſcia, ad quam oculis fruendam ipſe literarum praeſes Delphos relinqueret et SARMATIAM peteret, niſi pridem occupaſſet totam. Hanc Bibliothecam, hoc REGNI decus, inuiſit SZEMBECKIVS. Animo non minus, ac oculis, luſtrat omnia, tamque intente luſtrat, ut PROCERVM, qui adſunt, Ora in ſe circumagat, iamque maximum Bibliothecae Zaluſciae Decus habeatur. Miratur Vtriuſque Conditoris artificium. Vultu Geſtuque probat Vtriuſque in augendo literarum flore ſolertiam. Tandem, ne oraculo careat tanta celebritas, ominoſis pronuntiat uerbis, futurum, ut SARMATIA hominibus ſpolietur; Poſteros maius aliquid fore, quam homines; Heroës hanc Bibliothecam poſteris daturam plures, quam magnae ibi animae ex armariis loquantur. Digniſſimum hac Bibliotheca oraculum! Digniſſima hoc oraculo Bibliotheca!

 Iam,

Iam, ſi de reliquis REGNI PROCERIBVS dicerem, obſtupefieres oraculorum tum numero, tum etiam pondere. Complectere animo, ſi modo rem immenſam humanus animus complecti poſſit, quantae ſit maieſtatis, REGEM, in regali ſolio, ſchemate auguſto, collocatum, Placida Ora omnibus, impune ſpectanda, praebere; cingi Latus Regium, et dextrum, et ſiniſtrum, tot HEROIBVS, REGNI GENIIS; omnes in oculis et animis ferre immixtum ſibi REGEM; quemque, ſuo ordine, in tam auguſto coetu, de amplianda REGNI gloria, promouendoque flore, ornate et grauiter ediſſerere; ediſſerentem quemque ab omnibus, praeſertim uero, quod laudum omnium complementum eſt, ab Optimo REGE, probari laudarique; complectere, inquam, iſta animo, reſponſumque ede, ecquid ſentias. Ais, Pythiis adytis aliquid ſanctius et uenerabilius ſpirare auguſtum hunc conſeſſum; non humanos inibi audiri ſonos; mera eſſe, quae loquantur, oracula. Veriſſimum edis reſponſum. Meminimus, quam cupide, non animis modo, ſed calamis etiam, excepti fuerint heroici iſti ſermones. Meminimus, grauiſſimos uerae eloquentiae aeſtimatores, et quorum non unus Regio Lateri aſſidet, id, multo auri impendio, egiſſe, et agere etiamnunc, ne iſta oraculorum effata intercidant, ſed, uti nos, ita et poſteros, in ſtuporem trahant et admirationem. Meminimus etiam, publicam nuper factam fuiſſe ſpem, magnam eorum partem propediem et in Gallicum, et in

Germa-

Germanicum, idioma translatum iri, ut non SARMATIA ſolum, ſed et reliqua Regna habeant, quo delectentur. Imo, ſi augurari liceat, breui futurum eſt, ut non bibliothecarum ornamenta, hac laude enim pridem ſunt habita, ſed plane cimelia, habeantur Illuſtrium Rhetorum Polonorum oracula.

Iſta attingo tantum, alibi ea plenius expoſiturus. Iam me totum, quantuluscunque ſum, ZALVSCIAE GENTIS trahunt Oracula, quibus non memorabiliora Pythium edidiſſe fides eſt. Gentem audis, quam ſemper in pretio habuere REGES, quae nulla non aetate aut lituo ornata fuit, aut Patriae Palatinos dedit, aut Caſtellanos, aut Capitaneos, aut alia conſpicuos dignitate graduque, ſemper Heroës tulit, ingenio ſpirituque generoſo plenos. Horum omnium, quanti quanti fuerint, imo magni etiam Patrui, ex cuius aureo ore, (nam et nomine, et re, CHRYSOSTOMVS erat) Luſitaniae, Hiſpaniae et Franciae, Reges Lechicae Reipublicae oracula exceperunt, horum, inquam, omnium animos, ingenia, ſpiritum, et laudem reliquam, feliciſſime aequat, imo ſuperat, qui iam Gentis Suae, addo, et literarum, Princeps, omnium ſuffragio, habetur, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus ANDREAS, COMES ZALVSKI, Epiſcopus Cracouienſis, Dux Seueriae, quo, dum literae ſteterunt, non auſpicatius ſtudiis auditum fuit nomen. GRATIOSISSIMVS

hic

hic PRINCEPS, uti nihil, ſi ſtudium in REGEM et PATRIAM exceperis, prius habet, nihil curat, quam ut literas et ingenia excitet, ita primum circumſpicit, ut aliquem prendat, cum quo curam hanc partiatur. Nec diu quaerit. In quacunque magni momenti re Heroëm quaeras, dabit GENS ZALVSCIA. In hac ipſa Gente ANDREAS reperit, quem in ſocietatem adſciſcat, Fratrem Suum, Illuſtriſſimum IOSEPHVM. Cum hoc auſpicatiſſimum literis foedus pangit, cuius ſumma capita memoro. Pangunt, ſe allerturos eſſe ſtudiis dignationem maieſtatemque ſuam; daturos operam, ne quid amplius ingeniis politioribus deſit ad capiendum cultum uberiorem; coacturos ab omni terrarum parte libros, quorum numerum inire nemo poſſit; nec ſumtui parſuros, nec labori; effecturos, ut Bibliotheca paretur, quam nulla non aetas ſit admiratura; hanc, ſi perfecta ſit et abſoluta, patriae ſe dedicaturos, auguſto ritu; de cetero curaturos, ut non tutius Muſis refugium ſit, et nullibi maior ſtudiis honor, quam apud Sarmatas. Quotquot replices et ſuperioris, et huius, aeui annales, nullum memineris foedus, quo maiori cum religione ſteterint foederati. Aſſerta eſt ſtudiis ſua dignatio, ſua maieſtas. Nihil politioribus ingeniis deeſt ad cultum uberiorem. Stat Bibliotheca, profuſiſſimo ſumtu conquiſita, quam uix una capit Baſilica. Stant libri, quorum, et numerum, et delectum, et nitorem, non admirantur, ſed ſtupent, omnes, quibus hoc ſpectaculo frui contigit.

git. Imo ſtupent et reliqui. Nam magnae rei fama nullum non terrarum angulum peruaſit. Nullibi maior ſtudiis honor, nullibi laetius Muſae domicilium inueniunt, quam in SARMATIA. ZALVSCII loca lautia praebuerunt. Vnum igitur, et potiſſimum quidem, ſupereſt foederis momentum, tantae Bibliothecae dedicatio. Neſcias uero, an in dedicationem, an in ipſam Bibliothecam, maiorem curam intendant ANDREAS et IOSEPHVS, aeternitati ſacrata nomina. In utramque enim intendunt maximam. Vt nimirum, ex foederis clauſula, auguſta ſit, auguſtoque ritu peragatur, dedicatio, publice edicunt, quae futura ſit eius formula, qui ritus. Si audiueris Edicti ſummam, oraculum Tibi uideberis audiuiſſe. Qui enim Gratioſiſſimo Vultu et Geſtu, qui facundiae et elegantiae laude, qui reliquis ornamentis, Apollinem plane referunt, quidni Horum Edicta Reſponſaque habeantur oracula, imo oraculis ſanctiora. Edicunt, dedicationi deſtinari diem Martini. Rem, bono omine, in conſpectu REGIS Optimi, itemque REGNI PROCERVM, et NOBILITATIS POLONAE, peractum iri. Haec prior eſt Oraculi pars. Alteram ipſum crederes edixiſſe Apollinem. Scilicet Apollinem, memorant, Muſas, in honore alibi habitas, a ſuo tripode non abegiſſe, ſed adduxiſſe potius, poëticas amplexum indoles, et excitaſſe alacrem facundiam, ut concinnam, et quae in admiratione eſſet; utramque amaſſe orationem, et proſam, et uorſam; cuius rei auctor eſt

 Chaero-

Chaeronenſis. Edicunt uero ZALVSCII, gratiſſimum Sibi fore ſpectaculum, ſi undequaque, ex remotiſſimis etiam regionibus, Muſae concurrant, et in REGNI celebritate, quid ingeniis ualeant, et proſa oratione, et uorſa, oſtendant. Digniſſimum ſibi uideri, quod coram REGE, literarum Statore, coram PROCERIBVS, literarum amore inter ſe decertantibus, peroretur, argumentum, tum, qui fructus ex publicis bibliothecis in publicam rem redundent, tum praeſertim, quem ſplendorem literae ſibi petant ab AVGVSTO TERTIO, quaeque incrementa capiat res literaria feliciſſimo hoc aeuo, quo literis praeſidet AVGVSTVS TERTIVS. Quis uero fando audiuerit, Apollinem praemia ſpopondiſſe? Verba tantum et ſonos ſpondebat, recipiendo a conſultoribus auro adſuetiſſimum numen. At Oraculum Zaluſcium, hac ipſa re priſco oraculo ſanctius ac dignius, fortiter in hoc certamine ſtantibus lautiſſima proponit praemia, nempe et REGIS, et PROCERVM REGNI, et GENTIS ZALVSCIAE, amorem, tum quoque, ut huius amoris pignus extet, ac documentum, nummum, a metallo quidem magnum pretium, maius tamen, imo maximum, ab AVGVSTISSIMI REGIS Vultu, quo radiet, ſibi uindicantem. Illud uero ueteris oraculi myſterium, quod conſulentium tabulas et codicillos, non, niſi obſignatos et clauſos, Dei puluinaribus inferri oporteret, nauius imitantur ZALVSCII, ſacras ſortes tractare

callen-

callentiſſimi. Edicunt enim, obſignatas, quae ab eruditis tranſmitterentur, tabulas Ipſorum Manibus tractatum reſignatumque iri, tum etiam latere debere cuiusuis auctoris nomen, et quodam ſaltem lemmate ſingula ſcripta inſignienda eſſe. Audiuiſti ſummam Oraculi Zaluſcii, quo non reperies memorabilius, licet uel omnem hiſtoriae fidem ſolicites, omnemque antiquitatis paratum excutias. Recordor quidem, quanti pretii a Graecis habitum fuerit illud oraculum, quod fidem fecerat, non perituras eſſe Athenas. At Athenae ueteres ubi fuerint, pene nunc quaeritur. Maiori pondere, maiorique rei fide, ZALVSCII, ſi Eorum Oraculi uim intelligas, pronuntiant et ſpondent, non periturum eſſe Latium; ſaluum ſemper, imo auguſtiorem, fore eius dignitatem ſplendoremque. Et quidni fiat auguſtior, ubi tantis artificiis excitatur latialis facundia, ſtimuliſque agitantur ingenia, ad ſectandam eloquii laudem et gloriam.

Iam uero animi Tui cedo ſententiam. An putes, eum candide amare literas, qui nouae rei non plaudat; qui nouam epocham literis non gratuletur impenſius; qui non ad GENTIS ZALVSCIAE, ſimul et uniuerſae SARMATIAE, laudem concelebrandam ruat totus. Mihi certe, ubi Oraculi illius uocem audio, idem propemodum euenit, quod paſtori apud Pauſaniam, qui, dum e longinquo ſcrutatur ſpecum, quo ſe condidiſſe Apollo

fertur, loci quodam numine afflatus, uaticinia edit, resque futuras, intus agente spiritu, enuntiat. Oraculi Zaluscii quodam numine instinctus, uaticinia fundo. Nuncupo uota. Abscondo nuncupantis nomen, adscripto lemmate: *Viuitur ingenio, cetera mortis erunt.* Obsigno tabulas. Obsignatas Puluinaribus Zalusciis infero, certaturus cum omnibus, non quidem ingenio, hoc enim uincar ab omnibus, sed pietate in ZALVSCIOS. Hac enim, per Deum, uincar a nemine. Si uolupe, perlege tabulas, pietatis indices. Tu uero, in has intuens, in ZALVSCIOS pius esto.

Incipit ORATIO

Non ita Laërtiades, uel inter medias aestuantis Oceani procellas, patriam suam et auita regna fertur anhelasse, ut hoc die populi et prouinciae, quantumuis remotiores, forsitan et ipsi Reges, augusto huic interesse gestiunt spectaculo, quo augustius, et ad seculi commendationem aptius, nec retroacta uidit aetas, nec uenturi uidebunt, aeui decursu, nepotes. Huc uota, huc expectationem, dirigunt. Quam uero felicitatem potentius fatum plurimis negat, ea nobis, qui in umbra, in angulis, affixi pluteis, ingloria turba, delitescimus, raro quodam et posteris memorando exemplo, obtingit.

GENTIS

GENTIS enim ZALVSCIAE Beneficio, et, praefifcine dixerim, pene regio munere, ad hanc pompam, ueluti ad congiarium, quotquot aut Suadae facra tractamus, aut aonios cantus fundimus, euocamur, Regiifque Veftigiis, adorantium coetibus immixti, adftituimur, non tantum, ut oculos impune expleamus, fed etiam, quod uix fidem inueniet, ut AVGVSTOS VVLTVS, et uniuerfi REGNI PROCERVM Ora et Oculos, uel ipfis Regibus et populis tremendos, in nos conuertamus. Gaudete igitur, quicunque Apollini et Mufis operamini. Gaudete Veftro, et rei literariae, nomine, nondum plebeiam rem fieri literarum ftudia. Gaudete, fructuofum adhuc effe, ad capiendum ingenii cultum noctes euigilaffe, cum et haec aetas ferat Maecenates, qui ad hafce uigilias oculos deflectant, et, coelefti quodam argumento, inuidiofis fere largitionibus, omnium, quaqua patent, regionum ingenia excitent, ut, uelut in Deorum concilio, iifdemque arbitris, aemulatum agant. Iactet Roma feculum illud, quod, Romanam aquilam tenente Augufto, a literatis aureum quondam fuit habitum. Pari, an dicam ORATIO

 meliori,

ORATIO meliori, omine hoc aeuum dicetur aureum, quod, moderante Sceptra et Regnum AVGVSTO TERTIO, cui Germania geminam aquilam bis debuit, et generoſius recuſanti detulit, auſpicatiſſime tranſigimus. Iam enim auri pondera erogantur, ut tum ingeniis, quae fuere, aeternitas paretur, tum, ut ingenia, quae nunc ſunt, irritentur, ut, ueluti ſtimulis agitata, ad famae et immortalitatis delubrum certatim ruant, tum denique, ut futuris ingeniis uia quaedam regia pandatur, qua ad ſolidiorem, et in ſecula ituram, laudem graſſentur.

Scilicet non ſine re Romani maximus auctor eloquii, Tullius, ingenium dixit decus hominis. Hoc unum in homine perennat. Cetera ludibrio habentur, breuis aeui futura. Solo ingenio non ſolum, quod ait Iſocrates, alios alii ſuperamus, ſed et cum Diis paria facimus, imo, ut plane rem eloquar, ipſi Deorum albo inſcribimur. Quid eſt enim, quod Tullius hominem, ingenii praeſidio inſtructum, Deum putari, diſerte contendat? Quid etiam, quod Graeci Heroas ſuos, ingenio praeſtantes,

θεοεικέλους,

θεοεικέλους, θεοειδεῖς, hoc eſt, Deorum formas et ſimulacra, dixerint, eoſdemque ſubinde ſtatuis terminalibus, utroque pede manuque carentibus, ſolo capite inſignitis, qualia aliquando Deorum ſchemata fuerunt, honorauerint. Vt nempe intelligeretur, hos homines capite ſolo, ſolo ingenio, ad immortalitatem, ad diuinitatem, penetraſſe. Sic igitur calculum ſubduco, non aptiora eſſe, ad immortalitatem parandam, inſtrumenta, quam ea ipſa, quae ad ingeniorum cultum ornatumque parantur. Nos uero, quicunque literis cenſemur, aliam, quae poliendis et locupletandis ingeniis deſeruiat, ſupellectilem ignoramus, quam uictura in aeuum uolumina, dulciſſimas illas, quibus ultro impalleſcimus, chartas. His foecundantur et excitantur ingenia, ad maioris fortunae cultum erecta. His, quod omnia uincit argumenta, immortalitas ingeniorum conſtat.

Hanc ipſam immortalitatem, auſpicio poſt homines natos feliciſſimo, ingeniis largitur Ledaeum illud Par, cui omnes literatorum chori hodie conſurgunt et plaudunt,

ORATIO FRATRES ZALVSCII, ingenio et uirtute pares, fide in REGEM et PATRIAM, literarumque amore, gemini. Quanti putes esse moliminis, uastissimae aulae loculamenta capacia natis olim, et subinde nascentibus, ingeniorum monumentis instruere, quanti etiam, orientis et occidentis regna tributaria reddere, et ueluti sacramento obstringere, ut pretiosissima Musarum cimelia ministrent. At ZALVSCIORVM ingenio nihil non est peruium ac penetrabile. Ausu generoso rem suscipiunt, generosiori perficiunt et absoluunt, uel profusissimo auri impendio. Videas, quem enim ad sui spectaculum non rapiat ista magnificentia? Videas, inquam, codices, quorum numerus iniri nequit, in armariis, ordine longo pulcroque, dispositos, pretiosis indutos uelamentis, plurima auro nitentia, et quae sunt reliqua ornamenta, digna omnino Vtriusque Conditoris Ingenio.

Ea uero, quae dixi, etiamsi magna sint, multo tamen minora uidentur iis, quae nunc dicam. Non in ostentationem et pompam, uel, ut admirantibus tantum et laudan-

laudantibus patefiat, aulam libris inſtruunt ZALVSCII, ORATIO ſed, ut fructus ad omnes, qui ad immortalitatem ingenii contendunt, perueniat, ueluti literarum nundinas, ubi ingenia diuinitatem negotientur, et quaſi ingeniorum aſylum, inſtituunt, haecque atria, hos loculos, inque loculos diſtributa uolumina, publici iuris faciunt, et, ut a Ioue et Diis principium fiat, rem agunt in hoc Conſeſſu, cuius ſplendor uel cum ipſis ſuperis decertat. Videre enim REGEM, tum placida Luminum Maieſtate, tum Oris et Frontis honore, et reliqua ſpecie, orbis imperio dignum; uidere tot PROCERES, quorum Ora grauitatem, mira comitate mixtam, ſpirant, et in quorum coetu facilius eſt, Heroëm inuenire, quam hominem; hoc certe eſt Iouis et Deorum concilio intereſſe. In hoc Virtutis et Ingenii ſui theatro aeternitati operantur ZALVSCII. Parum iis uidetur aetatis praeteritae ingeniis aere perennius monumentum ſtatuiſſe. Maius aliquid concipiunt, excitare facundiam, famamque et aeternitatem dare, miri Artifices. Huius aeui ingenia, quotquot in umbraculis ſuis lateant, ingenioſe excitant, inque

 puluerem

 puluerem et ſolem producunt, ut, ſi quod exaſciatum et politius inter cetera emineat, hoc Optimo REGI, hoc aeternae REIPVBLICAE, hoc uniuerſo orbi, commendetur, ſiue, quod idem eſt, coelitum ciuitate donetur. Imo, quod poſteri praeſertim ſtupebunt, anguſti nimium ZALVSCIIS uidentur uaſti huius REGNI limites ſpatioſi. Vltra SAVROMATAS quaerunt, num quod ingenium cum Lechicis ingeniis diuinitate certet. Hoc certamen ut eo illuſtrius reddatur, omnium terrarum ingenia, indagine quaſi cincta, in hunc Conſeſſum deducunt, ueluti literarium luſtrum acturi. Sedent, auguſto ſchemate, tanquam in bipatente Olympi aula, tot Venerandi Iudices, ingeniorum cenſum atque delectum habituri. Valeat ille iudicii centumuiralis ſplendor, quem antiqua Roma oſtentat; Valeat illa tribunalium, quam ueteres iactant, maieſtas. Tum maieſtate, tum ſplendore, tum omni alia re, illuſtrius eſt hoc iudicium, ubi in ſuffragium eunt Iudices, qui Regum et populorum fata conſiliis temperant, et quorum decreta ſaepe trepidationem iniiciunt regnis ac populis. Nos ſoli, qui ingeniis

ingeniis certamus, quis credat, non trepidamus, nec animos defpondemus, iudicii huius aleam fubituri. Noftram et rei literariae caufam fidenter agimus, alente fiduciam Vtriufque ZALVSCII, ueluti Sponforum, adfpectu, quo uel ipfae Charites, Deae, pelliciuntur, atque in plaufum rapiuntur, et admirationem.

Aut fallor, aut hi parietes, hae exedrae, geftiunt, quod diem laetiorem, et producendis literarum finibus accommodatiorem, non uiderint. Iam Mufae etiam, ftudiis praefidentes Deae, ambitiofius fe circumfpiciunt, et, Epinicia canentes, in occurfum ZALVSCIORVM, quos reparandis literis politioribus, munere Deorum, natos effe gaudent, exultabundae ruunt, et iterum iterumque carmen illud aureum modulantur, nunc demum literis dignationem quandam et maieftatem circumponi; nunc tandem, ZALVSCIORVM artificio, meffem ingeniorum laetiffimam ubique, tum in SARMATICO, tum reliquo orbe, efflorefcere; nunc hominum beneficio, fi modo homines dicendi, qui immortalitatem largiantur, ingeniis

 illud praeſtari, quod ne Superi quidem hominibus praeſtent; nunc, uelut albis quadrigis, ad aeternitatis ſacrarium uehi ſubacta diſciplinis ingenia; ingeniis, perennitatem nominis agitantibus, acrius incitamentum, quam quod ZALVSCII addant, addi non potuiſſe; non alio melius, quam ZALVSCIORVM, Ingenio REGNVM et orbem ingeniis locupletari poſſe; tandem, quod eſt potiſſimum dulciſſimi carminis argumentum, neminem mortalium unquam immortalitatem ſuam uidiſſe, hanc, ſi impertiatur, demum poſt mortem impertiri, nouo autem rei miraculo ZALVSCIOS, dum ingeniis diuinitatem tribuant, ſuae Apotheoſi intereſſe uiuos uidenteſque.

Cape nunc animos, IVVENTVS, ad Patriae gubernacula et purpuram nata, blanda PARENTVM et REGNI Spes, FVTVRA RESPVBLICA, ſoboles quondam regnatura, et aeternam Lechi Rempublicam moderatura conſilio, uirtute, ingenio, plena ſpiritu generoſo. Cape animos, inquam, et exuberantibus gaudiis indulge. Te plane reſpicit haec panegyris, haec pompa, hoc ſpectaculum.

culum. Tuam inprimis caufam, praeter reliquam immortalitatis cogitationem, agunt ZALVSCII. Grandibus Tu quidem exemplis es imbuta, Auorum Patrumque Virtute. Aliquanto tamen grandius, quod Tibi proponant, exemplum, et ad appetendam laudem, non intermorituram, incitamentum, ZALVSCII repererunt. REGEM, et REGNI PROCERES, Orbis Sarmatici Sidera, fcite adunant, rerumque in augufto hoc Coetu fatagunt, tum ut fides fiat, rem diuinam, coeloque dignam, effe literarum interiorum ftudia, tum etiam, ut patulam ingeniis uiam ad iftam diuinitatem pandant. O Te igitur ter felicem et amplius, amata feculo Iuuentus, cui aufpicato contingit adolefcere hoc aeuo, quo ita cum ingeniis agitur, ut melius nunquam. Difce noftro exemplo, nobifque folemnem ueluti formulam praeeuntibus, et linguas, et facundiam, et quicquid ingenio concipitur, fpiritum quoque, ZALVSCIORVM Laudi impendere. Effice, ut immenfo Laudis cumulo haec etiam accedat, Tuo exemplo intelligi, nulla aetate SARMATIAM diuiniora ingenia produxiffe, quam poft natos, rei literariae ORATIO

 bono,

ORATIO bono, ZALVSCIOS. Sic cum ZALVSCIA Laude, dulci quadam mixtura, Tua laus perennabit, Tuosque laudadatores ambiguos tenebis, utrum imaginum ſerie, an ingenio, magis, cum utraque re ZALVSCIOS aemuleris, nepotibus ſis commendanda. Sic exterarum gentium excelſa pubes, quam nobilis et generoſa flamma regit, ad Te oculos deflectet, et ad aemulanda SARMATICAE IVVENTVTIS INGENIA, ad aemulanda etiam ſtudia, mire accendetur.

Iam alacri Veſtro adſpectu, PROCERES SARMATICI REGNI, in grandi fortuna GRATIOSISSIMI, in cultum Veſtrum, et admirationem, trahor. Certe amoeniſſima auguſti huius ſpectaculi pars eſt, uidere Oculos Veſtros in hoc literario negotio negotioſiſſimos eſſe, et uelut inter ſpectantes et audientes diſpenſari. Nunc affectu paterno, quo mollior non eſt, ad Iuuentutem Veſtram, Pectora iſta generoſo honeſto incocta, magnarum domuum Incrementa, blande reſpicitis, gaudiaque conſeritis, arte ZALVSCIA capacibus ingeniis nihil amplius ad capiendum cultum

cultum deesse, spemque uideri largam, et uirtute, et ingenio, ex asse Vobis similes fore tum natos, tum nepotes nascituros; fore etiam, ut, qui iam literarum omnisque sapientiae sint Alumni, Vestro, et ZALVSCIORVM, exemplo olim discant artium et ingeniorum Parentes esse, et Nutritores. Nunc arcano Luminum uigore contuemini Vtrumque pompae huius Architectum, FRATRES ZALVSCIOS, Animosque Vestros uersat mirifica illa Animorum Ingeniorumque consensio, qua in promouendo ingeniorum flore, dandaque et REGNO, et Vobis, et omnis aeui magnis ingeniis, immortalitate, ambo elaborant. Nunc Oculos in AVGVSTISSIMVM REGEM uenerabundi defigitis, tacita peragentes gaudia, quod inter Regias Laurus hederae serpant, et Augustale REGNI Fastigium, literarum ac ingeniorum cultu, augustius reddatur. Nos quoque, quorum linguas haec dies in praeconia soluit, Oculis intente lustratis, incertum tamen relinquitis, utrum Oculis magis, an Auribus, nos metiamini. Quicquid sit, manifesta fides est, Vos non in oculis tantum et in complexu habere ingenia, sed et, quod maximum est, eadem

aestimare,

ORATIO aestimare, suisque momentis ponderare, perfecte doctos esse. Caput igitur extollit uetus Latium, ubi pristinam suam maiestatem a Vobis, LECHI NEPOTES, inter ipsa, quae ad amplificandam REGNI SARMATICI Maiestatem agitantur, meditamenta instaurari, eandemque in ipsa REGNI Penetralia, in hoc Sacrarium, admitti, et cum SARMATICA MAIESTATE commisceri uidet. Capita etiam extollunt, quotquot hoc seculum ornant, cultores et mystae ueteris Latii, atque effusius gaudent, Latio extra Latium nouam sedem figi, imo grande aliquid concipiunt, dum animis uoluunt, utrum posteri REGNVM Vestrum rectius SARMATIAM, an NOVVM LATIVM, sint dicturi.

Ista uero felicitas, quae literis, quae ingeniis, quae Iuuentuti, et uniuersae rei, SARMATICAE, quae integrae Reipublicae literariae, hoc die affulget, dum animo occursat, nec ori, nec oculis, temperare possum, quin ad TE, FRIDERICE AVGVSTE, quo Nomine sanctius in orbe nullum est, nec uenerabilius, REGNI

TVI

TVI, et uniuerſi generis humani, Amor et Delicium, quin ad TE, inquam, deflectant. Magnum quidem eſt, et res ſeculis memoranda, Regali Solio literarum ſplendorem circumfundi. Magnum eſt, REGEM, ad quem populi uota ſua dirigant, diem et horas ita diſpartiri, ut pars tractandae et amplificandae REIPVBLICAE, pars proferendis literarum pomoeriis, erogetur. Magnum etiam, tot umbraticos homines, fandi peritiam profeſſos, in ipſum Regiae Sedis adytum intromitti, et, Sceptro ac Purpurae propius adſtitutos, a REGE, et, REGIS exemplo, a PVRPVRATIS et PROCERIBVS, patienter audiri. Sed, qui TVAM, REX, Regum Optime, Magnitudinem metiri uelit, ſi modo menſurae capax ſit, quod immenſum eſt, hic non ad iſta tantum intendat animum, ſed expendat praeſertim, quantae ſit Amplitudinis, REGEM dici Ciuium, qui cum Superis paria faciant, et immortalitatem ingeniis, tum quae fuere, tum quae nunc ſunt, tum futuris, longe operante manu, praeſtent. Haec enim cum praeſtetur a Ciuibus, quid non a Manu TANTI REGIS poterit expectari? Hac ipſa uero Amplitudine

D ſatiſcit

 fatiſcit animus, dumque illam delineare paro, in ipſo conatu deficit facundia. Foecundioribus igitur, et TANTO REGE dignum epos concipere capacioribus, ingeniis delineandam relinquo.

At, ubi ad Vos reſpicio, magnae fortunae Exempla, Geminum REGNI SARMATICI Decus, FRATRES ZALVSCII, denuo exuberat, et prorſus exundat, eloquentia. Cui enim non dicendi audaciam faceret obuia omnibus, et in tanto Culmine admirabilior, Veſtra Facilitas? Quem non diſertum redderent GENTIS ZALVSCIAE, tot Heroum prouentu Illuſtriſſimae, Decora? Cui non copiam fandi miniſtrarent Ingenia Veſtra, excelſo faſtigio, in quo collocati eſtis, multo excelſiora? Quem non in gaudia, in plauſum et eloquium, traheret haec ipſa dies, qua Vos, qui pari ſemper conſilio, pari etiam literarum amore, agitis, huius concordiae fructum capitis, immortalitatem. Nimirum a REGE, et REGNI PROCERIBVS, et laudes et grates ſpirantibus, probari; coram REGE et REGNI SENATV uenerantium officia promereri;

reri; tum etiam ueluti in famulatu ſuo habere omnium
prouinciarum ingenia et linguas, hic eſt proximus ad immortalitatem gradus. Hoc eſt, aeternitatem ſuam uidere. Hanc cum Voſmet hodie uideatis, uberiore et exquiſito uerborum paratu, imo artificio quodam, opus eſt, ut poſteris fidem faciamus, rem in hodierna panegyri actam eſſe, quam nos ipſi, niſi ſpectaculo intereſſe contingeret, eius magnitudine perculſi, fortaſſe non crederemus. Quid enim, ſi in faſtis, quorum maxima ſemper pars fuit GENS ZALVSCIA, poſteri legerint, duos Gentis Huius Fratres, in quibus ornandis et uirtus et fortuna contenderit, quorum Palatia literarum et ingeniorum hoſpitia fuerint, quem utrumque ſpirantem Bibliothecam et ambulans Muſeum coaetanei dixerint, uaſta conclauia ſelectiſſimis ingeniorum monumentis, ſumtu immenſo, referſiſſe, referta publicis uſibus deſtinaſſe, et auguſto dedicaſſe augurio; ſeculum non uidiſſe diem, ſplendore et pompa magis notabilem; ſediſſe, quaſi in libertatis ſpecula, REGNI SARMATICI PROCERES, hiſque immixtum REGEM, uno die et REGNI, et literarum, regimen tenentem,

 grande Diis et hominibus ſpectaculum! et Comitiorum partem amoenioribus aſſeruiſſe ſtudiis; eruditos, ex omni terrarum angulo euocatos, Regium cinxiſſe Latus, et Memnonis ſtatuam, quae, Solis radiis icta, ſonum edidiſſe, perhibetur, imitatos, medium inter Purpurae et Regii Solii fulgorem, certaſſe eloquio; quemque torſiſſe ingenium, ut uel blando dicendi genere, uel uerborum, magna ſonantium, pompa, auguſtum auditorium mulceret; omnes conſpiraſſe in REGIS, in REGNI, in ZALVSCIORVM, Laudem; perſonaſſe latiali facundia Curiam; REGEM et REGNI PROCERES, Auguſtos Suffragatores, ingeniorum ſcrutinium inſtituiſſe; omnes uero, quotquot cenſendis et luſtrandis ingeniis aſſederint, in id conſenſiſſe, extra omnem comparationis aleam, niſi quis cum Diis comparare uelit, poſitum eſſe utriuſque ZALVSCII Ingenium? Quid, inquam, ſi iſta legerint poſteri? An, ita acta eſſe, credent? Tentabunt certe faſtorum fidem, et rem, dicent, eſſe ſeculis inauditam. Credent tamen, ſi uiderint, omnia huius aeui ingenia ſymbolas contuliſſe, et in re procudenda, diſpari quidem uerbo-

uerborum ſono, pari tamen facundiae artificio, elaboraſſe. ORATIO
Sic credent quidem, at quantus ſtupor erit! Primum querimonias ultro citroque iactabunt, iniurium eſſe naſcendi ordinem, et male ſecum agi, quod non anteriori ſeculo naſci, et huic ſpectaculo intereſſe, contigerit. Tum, ſi, nihil proficere querelam, intellexerint, in laudes et plauſum toti effundentur. Varia certe agitabunt animis. Agitabunt, Iulium Caeſarem ad ornandam urbem, ampliandumque imperium, bibliothecas graecas et latinas, quas maximas poſſet, publicare deſtinaſſe, deſtinata tamen perficere non potuiſſe. Felicius rem ceſſiſſe ZALVSCIIS. Hos publicaſſe Bibliothecam, ad quam uidendam exteri Sarmaticum Regnum ſint inuiſuri. Agitabunt, Pollionem, Auguſto Caeſare imperante, primam bibliothecam publicaſſe, et, quod eleganter ait Plinius, ingenia hominum rem publicam feciſſe; contra ZALVSCIOS, regnante AVGVSTO TERTIO, melioribus auſpiciis, ultimam, quis enim ZALVSCIOS imitabitur, publicaſſe, et Rempublicam ingenia feciſſe, hoc eſt, REGNVM et REMPVBLICAM diuinis ingeniis ditaſſe. Agi-

ORATIO tabunt etiam, Plinium Caecilium, marmore teſte, Traiani Optimi auſpicio, bibliothecam apud Mediolanenſes dicaſſe; Feliciores eſſe ZALVSCIOS, quibus Suam, AVGVSTI OPTIMI auſpicio, dicare contigerit. Talia agitantibus occurſabit primum quondam GENTIS ZALVSCIAE ornamentum, ANDREAS CHRYSOSTOMVS, qui REGIS et REIPVBLICAE mentem et oracula apud tres Europae Reges locutus eſt, et cuius Ingenium, praeter cetera argumenta, diſerte loquuntur illa Epiſtolarum uolumina, quae in maximo ſunt pretio; Dicent uero, magnum fuiſſe ANDREAM CHRYSOSTOMVM, maiores tamen Ingenio eſſe ANDREAM STANISLAVM KOSTKAM et IOSEPHVM ANDREAM, Iſtos rei literariae Inſtauratores, coelitus datos, non GENTIS tantum, ſed REGNI SARMATICI, an dicam orbis, Ornamenta. Obuerſabuntur etiam reliqua REGNI Decora, ad quae contemplanda nepotes ſuos hortabuntur. His fidem facient, gentile illud ac populare quondam Graecorum decus, ingenium, apud SAVROMATAS nunc ſedem fixiſſe. Plane defixi haerebunt in admiratione

AVGV-

AVGVSTI TERTII, quo non auguſtius Nomen meminerint, quod poſteritati ſuae commendent. Diſpungent et excutient REGNI Faſtos, indagabuntque, num quem Lechus Regni ſuccedaneum habuerit, qui, ingeniorum et literarum amore, cum AVGVSTO TERTIO certet; et inuenient quidem inter innumeras Regiarum Virtutum commemorationes, fuiſſe quondam REGEM, quem ob eloquentiae laudem Tullium alterum dixerint; in ALIO incertum fuiſſe, utrum ingenium, quod ſcriptor ait, ſiue natura, Gratiam uicerit, an Gratia naturam; ALIVM literis in SARMATIA lucem ſpiritumque dediſſe, Academiam Cracouienſem fundando; ALIVM Principes Iuuentutis Regiae latiali eloquio imbui curaſſe, et, ut excitaret eloquentiae cultum, publice declaraſſe, ſe neminem, niſi, qui Latium uidiſſet, muneri publico admoturum, culta etiam et ornata ingenia in Oculis tuliſſe; ALIVM Virtutis et Ingenii Regem, Mentemque Polonam, uocatum; ALIVM in uariis ſcientiis et artibus eruditiſſimum fuiſſe; ALIVM denique, ut reliqua REGNI DECORA iam non exſequar, Procerum

ORATIO

BOLESLAVS I.

CASIMIRVS II.

CASIMIRVS III.

CASIMIRVS IV.

IO. ALBERTVS

SIG. AVGVSTVS

STEPHANVS I.

filios,

ORATIO filios, Voce Regia et praemiis, ad Latii ueteris delicias ſectandas pellexiſſe, his uero REGIBVS palmam praeripuiſſe AVGVSTVM TERTIVM, uno ore fatebuntur, ſi uel ſola huius diei geſta in REGNI diurnis legerint. Haec una dies docebit, laudes iſtas, quae tot REGVM fuerint, in Hoc uno REGE coniunctas fuiſſe. Docebit, in Regio Complexu fuiſſe literas, et eloquentiam latialem; in Hoc REGE Ingenium et Naturam cum Gratia decertaſſe; neminem unquam REGEM magis aut literas politiores et facundiam excitaſſe, aut erecta ingenia fouiſſe, neminem etiam meliori iure REGEM INGENII ET VIRTVTIS, itemque MENTEM POLONAM, dici, quam AVGVSTVM TERTIVM.

Adhuc uero de poſteris loquor. Horum enim negotia Vos ſtrenue agitis, imo his uiui intereſtis, ZALVSCII. Quoties recurret haec dies, Martino in faſtis dicata, ueluti literarum diem natalem celebrabunt culta ingenia, quin et ſubdubitabunt, utrum haec dies Martino magis,

magis, an ZALVSCIIS, ſit ſacra. Laudet Gallia uetus Martinum, Praeſulem, de re et eccleſia Gallicana optime meritum, aeramque ſuam ex morte eius ſupputet. Habet SARMATIA, quos Martino uiuos ſuccenturiet, Vos ZALVSCIOS. Habet poſteritas, ut ex hac ipſa Martini, rectius dixero ZALVSCIORVM, die, qua omnis aeui ingeniis, Veſtris etiam, immortalitatem paraſtis, aeram nouam in faſtis literariis ſupputet. Certe tot ſeculis Veſtra laudabuntur Ingenia, quotquot ingeniis hac die aeternitatem dediſtis. Dum homines, dum literae, erunt, ZALVSCIVM ubique legetur NOMEN. ORATIO

Hoc nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetuſtas.

Dum autem in ipſo Laudis Veſtrae ueſtibulo haereo animum uellit ueterum doctrina, res diuinas tacita et pura mente recte tractari. Ego igitur, Deos adeſſe, remque diuinam tractari, ſacro teſtabor ſilentio. ORATIO *explicit.*

Perhibent, fuiſſe quondam oraculorum eam uim, eam uirtutem, ut conſultoribus, in re aleae pleniſſima, et prorſus deſpe-

 rata,

rata, ſaepe animos et uires addiderint, multumque momenti habuerint, ad feliciſſimum, ancipitis ceteroquin rei, euentum, aliquando ad palmam obtinendam. Iſthanc certe Oraculi Zaluſcii uim atque uirtutem me glorior experiri. Nunquam me memini ſubiiſſe rem aleae pleniorem, nunquam ambiguam magis, quam hanc, ubi ingeniis, de palma certantibus, immiſceor. Immiſceor tamen, non uero alia, quam Tanti Oraculi, fiducia. Haec animum addit, haec uires. Haec adeo felicem dat certamini euentum, ut palmam nuntier tuliſſe. Quod tulerim, glorior quidem, at, qua re tulerim, cum cogito, glorior amplius. Certaui nimirum pietate, pietate uici. Dicam explicitius, quo omine, quoue auſpicio, iſthaec ceſſerit uictoria. Erunt uero et omen, et auſpicium, Oracula Zaluſc ia.

Propinquat dies, Martino ſacra, pompae literariae dicata. Inſimul tamen ita excreſcit negotiorum, ad REGNI integritatem et florem ſpectantium, moles, ut hanc quoque diem ſibi uindicent Comitia. In aliud igitur tempus prorogatur Bibliothecae Zaluſciae, admirandi Operis, dedicatio, prorogatur etiam literarium certamen. Nec tamen ZALVSCII prorogant literarum cultum, amoremque in Muſas. Nihil ab harum conſortio Eos diuellit. Nullum non diem partiuntur. Partem Comitiis, partem ſtudiis, aſſerunt. Haerent, quod apud poſteros difficulter inueniet fidem,

haerent

haerent in tabulis illis uotiuis, ex omni terrarum parte transmissis. Solicitius rimantur singulas. Quaerunt operosius, num quae, prae ceteris, REGIS Incomparabilis, simul et REGNI, Laudem spirent. Hac sola enim delectantur, hanc ipsi spirant, ZALVSCII. Trutinant rerum uerborumque pondera, et, ut eo exactior sit trutina, tertium cooptant foederatum, MARTINVM, tertium illud, uti GENTIS ZALVSCIAE, ita literarum, Decus. Hi Triumuiri, ANDREAS, MARTINVS, IOSEPHVS, tabulas omnes Manibus uersant, ac Animis. Versant etiam meam. Versatam ponderant. Ponderatam tandem calculis suis palma dignam iudicant. Hoc uero GENTIS ZALVSCIAE Oraculum nondum absoluit certaminis literarii euentum, sed futuri saltem euentus augurium est, et omen. Haec enim agi, scias, in GENTE ZALVSCIA. Non in populum spargitur, sed, priuata tantum fide, mihi perscribitur, triumuiralis sententia. Nouum destinatur examen, noui iudices. Noua expectatur sententia.

Repete oraculi prisci mysteria, et inuenies, communem quondam fuisse famam, non ipsos ubique Deos edere oracula, sed edi haec ab illorum administris, geniis. Horum uoce consultoribus respondere Deos. Mireris, huius mysterii et hodienum superesse uestigia. Duos Oraculi administros destinant ZALVSCII, duos Genios, quorum ore sint locuturi. Alter, si nomina sciscı-

 teris,

teris, eſt ANTONIVS PORTALVPI, alter IOANNES BAPTISTA ROTINGO. Audis nomina, et eloquentiae, et ingenii, et omni reliqua, quam animo comprehendas, laude pridem celebrata, imo, dum a ZALVSCIIS probantur, celebratiſſima, nulloque ſilenda aeuo. Nobile hoc Geniorum par nouas init rationes, nouos calculos. Nunc laudant in hoc facundiam, in alio ingenium, iſtum pietate in REGEM, aiunt, ſibi uideri inſigniorem, ſequentem REGNI laude trahi, illum ZALVSCIAE GENTIS cultu eſſe commendabilem, reliqua. Huic laudum exagio, ut ſingulis momentis nihil non ponderetur, unum et alterum menſem impendunt, imo pene tertium. At, quid interim Solertiſſimus ANDREAS? Ad me indulgenter deflectit, et Principali Oraculo me beat, credo, ut animum praeparet et obfirmet, ne magnae rei nuntio, qui proxime inſtet, plane percellar. Exquiſitiſſimis uerbis fidem mihi facit, gratas Sibi fuiſſe et literas meas, et acclamationem meam uotiuam, imo (niſi rem memorare uetat modeſtia) peculiarem Se ex illis uoluptatem concepiſſe. Haec Oraculi ſumma eſt, hoc argumentum, ſimul et futurae uictoriae praeludium et omen, incertum, pluſne auſpicatum mihi, an Celſiſſimo Scriptori glorioſum. Diſce enim uel ex hoc momento, neminem meliori artificio tractare literas, literarumque cultores, quam Literatiſſimum ANDREAM. Glorioſiora uero uidebuntur, quae dicam deinceps.

Pergunt

Pergunt Duumuiri illi in uolutandis ſcrutandiſque literatorum, de palma certantium, chartis, reque iterum ac iterum penſitata, tandem edunt reſponſum, me inter eos, qui proſa Oratione loquantur, potiorem eſſe in certamine, dignumque uideri palma. Neſcio, qua tandem re Apollinis quondam ſacerdotes dici meruerint ὅσιοι, id eſt, ſancti, mites, benigni, et, ut non nemo rem interpretatur, 'qui de ſuo iure remittant aliis. Potiori iure Duumuiros illos Capitales hac inſignirem laude, qui ſummo animi candore LECHICI APOLLINIS ſacra tractant, qui adeo ſe mites et benignos praebent in ferenda ſententia, qui mihi palmam decernunt, quam certe quilibet alius iudex ipſis decreuiſſet. Interim, quod ab hiſce oraculi adminiſtris editum eſt reſponſum, ratum pronunciat, Principali Oraculo, ANDREAS, palmamque, in medio poſitam, publice mihi decernit. Ne ego uero nouae rei diu ſim expers, ad me iterum reſpicit GRATIOSISSIMVS PRINCEPS, et nouo me ornat Oraculo, in quo, neſcias, utrum uerborum maieſtatem, an rerum pondus, primum mireris. Iniuriam facerem et rei literariae, et omnibus, qui literarum amore ducuntur, ſi in ſcriniis meis paterer deliteſcere Principales Codicillos, rem magis literariam, quam me, ſpectantes. Hic ergo Illorum tenor:

Quantum Nobis ingenioſa atque elegans Diſſertatio tua, qua uberiores fructus, ex publicis Bibliothecis in humaniorum literarum optimarumque artium diſciplinas dimanantes, commonſtrauiſti, ſatiſfecit, tantum iis, quibus cenſendi facultatem permiſimus, adeo uſque arriſit, ut, licet octuaginta de palma tecum contenderent, principem tamen te inter rei illius literariae praecones ſuis calculis facile adſcripſerint. Quamobrem non poſſumus, quin promeritum, quem apud clariſſimos grauiſſimoſque ingeniorum exiſtimatores conſecutus es, honorem, tibi ex animo gratulemur. Vt autem ſingularis tuae in Nos uoluntatis teſtimonium, laboriſque tui probatiſſimi praemium, apud te remque litera-

literatorum publicam, declaratum teſtatumque relinqueremus, aureum nummum tibi decreuimus, Auguſti Tertii, Regum Optimi, Imagine conſpicuum, et a Vultu Tanti Principis, plus quam ab omni metallo, pretium omne mutuantem, quem ab Antonio Gibeſio, Poſtarum Varſauienſium Secretario, penes literas reuerſales, grato, ut putamus, animo recipies. Ceterum, ut id, quod ſentimus, profiteamur, palam edicimus, nihil Bibliothecae, a Nobis communi Ciuium bono deſtinatae, illuſtrius adferri potuiſſe, ſcriptis illis nitidis, a Literatorum cultiſſimorumque hominum ingenio profectis, inter quae ingenia tuum quoque eximium praelucere, tum Orbi Chriſtiano, tum Literariae Reipublicae,

quam

quam diutiſſime, ex animo precamur. Vale, Vir Nobis Noſtroque animo pergrate, et de re literaria, ut ſoles, diu ſoſpes, inſigniter mereri perge.

Iam quid eſt, Lector, quod haereas? Nullo non haeres commate. Et recte. Haeſi et ego, imo haereo etiam nunc, quoties repeto tenorem. Singulae enim uoces quid aliud reſonant, niſi literarum amorem, ANDREA dignum? Quis unquam Princeps a literis ſplendorem petiit, aut, ſe petere, publice faſſus eſt? Petit uero, ſeque petere ingenue fatetur, ANDREAS. At eo ipſo Se uere PRINCIPEM demonſtrat. Cedro dignum eſt illud aſſertum, nihil illuſtrius Bibliothecae Zaluſciae (cogites uero, uelim, huius Bibliothecae Auctorem, numerum, delectum, ſplendorem, et fructum) adferri potuiſſe, quam literatorum ſcripta. An rei, quae pridem Illuſtriſſima et Splendidiſſima habita fuit, omnium conſenſu, ſplendorem quendam credas affundi poſſe ab umbratica illa, quae ſumus, turba. ANDREAS uero affundi cenſet, imo gloriatur. Tantus iam literis habetur honor. Tanta eſt ſeculi, quo uiuimus, felicitas. Age uero in alio, eoque paulo illuſtriori, argumento haereamus. Attende, quorſum ZALVSCII omnia

omnia Sua Oracula collineent. Priſca oracula hanc ſibi dixerant legem, ut de Regibus ſemper reuerentius loquerentur, iiſque non, niſi grata et fauorabilia, augurarentur. Scilicet hanc ipſam legem ſuis Oraculis dixere ZALVSCII. Nihil edicunt, niſi quod et laudem, et Gloriam, AVGVSTI TERTII, REGIS Optimi ſpectet, nihil credunt auſpicatum fore, niſi rei auſpicium ſit AVGVSTVS TERTIVS. Repete, quae antea dixi. Dedicaturi Bibliothecam, rem non putant feliciter ceſſuram, niſi in REGIS Conſpectu. Delecturi argumentum, quod in REGNI celebritate ediſſeratur a literatis, non inueniunt illuſtrius, quam Laudem REGIS. Praemium uincentibus propoſituri neſciunt lautius, quam Imaginem REGIS, auro fulgentem. Iam nouum Amoris in REGEM exemplum praebet hoc ANDREAE Oraculum, cuius audiuiſti tenorem. Non egere nummus uidebatur quapiam commendatione, iam ipſo metalli pretio et pondere ſatis ſuperque commendabilis. Commendat tamen ANDREAS, et, ut de pietate et reuerentia erga REGEM luculentius conſtet, commendationem ei quaerit ab AVGVSTI TERTII Imagine. Vnde uero peteret meliorem? Digniſſima profecto eſt haec ipſa Oraculi pars, in cuius contemplatione altius haereas. Imo uero et ceterae partes uidentur digniſſimae. Quotquot enim legeris uerba, totidem inueneris magni animi, quae operoſe mireris, argumenta.

Nunc tandem a grandioribus argumentis ad me redeo, ſi modo, leue argumentum iſtis immiſcere, fas eſt. Perferuntur ad me Principales Literae. Venerabundus magis, quam obſtupefactus, eas ueſtigo. Nam prius ANDREAE Oraculum prorſus obfirmauerat animum, ne obſtupefieret, ſed fortiter ſubiret rei euentum. Veſtigando non unum diem conſumo, dumque adhuc in Illis totus ſum, iam ubique graſſatur rei fama, quam uix dum ſerpere exiſtimaram. Ex hoc ego tempore Delphico conſultori ſimilis uideor omnibus, uideor etiam mihi. Ille, ſi uera refert antiquitas, impetrato oraculi reſponſo, χαριστήρια celebrabat, et diem hilariter interque congratulationes, ſacerdotum praeſertim, exigebat. Ego meliori animo χαριστήρια celebro. Maximam feſti partem gratiis expediendis (an uero expediam dignas?) impendo. Reliquam gaudio et congratulationibus. Scilicet omnes, qui literis bene cupiunt, imo et illi, qui palam literarum myſtae et ſacerdotes habentur, aliquam gaudii meaeque felicitatis partem ſibi uindicant, et Gratioſam Oraculi Sententiam non mihi magis, quam Vitembergae meae, antiquae illi Muſarum ſedi, ubi tertio iam ſeculo literaria oracula funduntur, imo et ſibi, gratulantur ex animo. Votis etiam compellor ab exteris. Omnes uero, ſiue exteri, ſiue populares mei, candide profitentur, trahi ſe totos in ANDREAE admirationem, tangi ſe quodam Oraculi ſenſu, qui manifeſtum faciat omen, inſtaurandis

ſtaurandis literis diuinitus datum eſſe ANDREAM. Sic omnes in ore, in animo, ferunt, literiſque celebrant, ANDREAM. Ferrent etiam in oculis, imo ferre uehementius exoptant. At, hoc ſpectaculo frui, potentiori negatur fato.

Tu interim, Lector, cum oculis non poſſis, animo fruere ſpectaculo. Cogita PRINCIPEM, qui oraculi ſanctitatem maieſtatemque prorſus aequet. Quod enim aequet, non ego tantum, non mea tantum Saxonia, non Germania tantum, aliaque regna extera, ubi literae ſunt in pretio, agnoſcunt, ſed Ipſa, quae Sidus hoc literis affulgens fert, SARMATIA agnoſcit. Non expreſſius poſceres teſtimonium, quam quod dabo. Menſe Decembri literis ſuis me ornat quidam ex POLONA GENTE. Laudat ille ZALVSCIOS, praeſertim ANDREAM, et, ut prolixam laudem minus prolixis uerbis abſoluat, Eum, ait, maximum eſſe liberalium ſtudiorum omniſque doctrinae et Auctorem et Admiratorem, cuius VOCEM ORACVLO EMISSAM credant omnes. Imo parum accurate dixi, quod oraculi ſanctitatem maieſtatemque aequet. Non aequat, ſed prorſus ſuperat, ſi calculum modo inire uelis. Ineamus uero. Priſcum oraculum neminem admittebat conſultorem, niſi operto capite et uultu accederet, fortaſſe, ne quem myſterii apparatum profanis oculis contrectaret. Nec ſic quidem in adyta eum admittebat. Haec omnibus, praeterquam ſacerdotibus, et aliquando

 regibus,

regibus, erant occlusa. Oraculum uero Zaluscium literatum quemque admittit, nec admittit modo, sed ultro prouocat, ut REGIS et REGNI Splendorem libere conspiciat, nec quemquam a REGNI penetralibus, a REGNI sacrario, ab ipsis adytis, submouet aut arcet, tanquam profanum. Neminem enim profanum putat, sed sacrum, qui literis excultum ostentet ingenium. Priscum oraculum non, nisi laureatis, aut coronatis, consultoribus respondebat. Oraculum Zaluscium effatis Suis nos ornat, etiamsi nulla re externa simus ornati. Imo ab hoc laureati ornatique recedimus, qui, laurea uix digni, accesseramus, nec cuiusquam ornamenti uidebamur capaces. Priscum oraculum fastidiebat consultores, nisi muneribus et auro puluinaria onerarent, et, licet onerassent, ut plurimum tamen moesti recedebant, uel ambiguitate responsi, uel grauitate, perculsi. Ad Oraculum Zaluscium accedimus, nihil litaturi, nisi bonam mentem. Mentem uero nihil ambigui perturbat. Quo enim candore literas tractat GRATIOSISSIMVS PRINCEPS, eodem oracula fundit. Hilares ab eo recedimus, quin et opulenti, et auro ditati, simulque, quam auro reputes cariorem, ANDREAE Gratia condecorati. Veterum oracula non, nisi quotannis semel, adire fas erat, nec semper patebant aditus, fortasse, ut hominibus maior loci horror incuteretur, aut ne sacerdotes imparatos inueniret consultor. Melior est Oraculi

Zaluscii

Zaluſcii formula. Quo frequentius adeas, plus amabit ANDREAS. Imo, ut adeas, operitur. Nunquam non patent aditus. Ipſe eos patefacit ANDREAS. Nullus inibi loci horror. Gratioſiſſima ſemper et Placida ANDREAE Ora. Nunquam imparatum inuenies, qui Operi Suo, hoc eſt, ut ingenia foueat, fugienteſque literas ſuſtineat, ſemper eſt intentiſſimus. Reliqua exſequi non aggredior. Nec, ſi aggrederer, digne eſſem exſecuturus.

Dulciſſimum adhuc ſupereſt meae ſcriptionis argumentum. Dixi, prorogatam fuiſſe Bibliothecae Zaluſciae dedicationem. Omnem igitur ſolicitudinem eo dirigit Literatiſſimus PRINCEPS, ut mora, tantae celebritati iniecta, Pompae grauitate penſetur. Nouum edit Oraculum. Dedicationi aliam dicit diem, et quidem, ut ab AVGVSTO TERTIO nullius non rei fiat principium, diem, Auguſto in faſtis ſacram. Hoc uero Oraculum, uti cetera, non ad SARMATIAM tantum ſpectat. Noſtra etiam, quotquot interioribus literis operamur, noſtra res agitur. Ad nos pertinet Pompae grauitas, quam parat ANDREAS. Ad nos iſta magnificentia, quam ominoſa Auguſti dies eſt editura. Quotquot igitur impenſius amatis literas, uotis ſolemnibus efficite, ut auſpicatiſſime eat dies, cui parem in faſtis literariis non habuit aetas ſuperior, nec habituri

bituri ſunt poſteri. Perficite ingeniis, ut uenturis ſeculis certa fides fiat, regnante et terris, et literis, et ingeniis, AVGVSTO TERTIO, neminem ſtudio in REGEM, in PATRIAM, in ciues, in literas, in ingenia, magis excelluiſſe, quam ANDREAM ZALVSCIVM. Oſtendite, quantum literis pretium habeatis, imo ſic oſtendite, ut Veſtri tandem nepotes habeant, quo glorientur, noſtra aetate habitum fuiſſe maximum. Ego certe operam dabo, ut, niſi exemplum praeiuiſſe, paria tamen Vobiſcum feciſſe, dicar a poſteris.

REVERENDISSIMO SERENISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ANDREAE STANISLAO

KOSTKAE

COMITI IN ZALVSKIE

ZALVSKI

EPISCOPO CRACOVIENSI

DVCI SEVERIAE

ORDINIS POLONI AQVILAE ALBAE

EQVITI

REGIS

ET

REGNI SARMATICI

DELICIO

PINDI ORNAMENTO PRIMARIO

LITERARIAE REI TVTELAE

INGENIORVM PRINCIPI

FELICITATEM

Qua dote nuper et TIBI, INDVLGENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE, et aliis magnis ingeniis, placuisse glorior orationem meam, eadem et hanc scriptionem placituram esse spero. Imo non spero, sed auguror. Augurii certe manifesta est fides. Erat orationis dos una et sola, at eo praestantior, pietas. Pietate illa enitebat cum erga REGEM, cui parem non habuere, nec habitura sunt, secula, tum erga Polonum Nomen, cuius gloria utrumque complet orbem, tum etiam erga gloriae huius Amplificatores, ZALVSCIOS, quorum TV, CELSISSIME ANDREAS, haberis Princeps, imo Dux et Auctor. Hac laude illa erat commendabilis. Eandem uero laudem prae se fert haec tractatio. Non minus pia est in REGEM Incomparabilem; non minori pietate uersatur in celebranda Nominis Poloni gloria; non minus pie miratur TVAM, et quae, TE exemplum praeeunte,

eunte,

eunte, agit, GENTIS TVAE, in augenda et amplianda REGNI gloria, ſolertiam. Quidni igitur ſperem, quidni augurer, eam non minus fore commendabilem, TIBI praeſertim, qui et exemplo, et munificentia, et nulla non reliqua arte, ſtudium in REGEM, et REGNVM, ubique excitas, excitatumque generoſius ſuſtentas et auges.

Atqui TV, GRATIOSISSIME DOMINE, qui nullam non rem, maxime, quae literas reſpicit, ſuis momentis ponderas, alteram reperis, qua orationem meam commendes, dotem. Ais, elegantem eſſe. Nec renuo. At hanc laudem et haec compages ſibi uindicat. Non minus eſt elegans. Dicam, unde iſta elegantia. Elegans, imo elegantiſſima, ut grauiter Iſocrates pronuntiat, illa demum eſt oratio, quae de rebus maximis, de rebus illuſtribus, agit. An ego uero maius, aut grauius, aut illuſtrius, aut ponderoſius, argumentum,

tum, quod perorarem, circumſpicere potuiſſem, quam REGEM, REMPVBLICAM, ZALVSCIOS, BIBLIOTHECAM ZALVSCIAM, reliqua. Inde, inde, orationis meae elegantia. Ex me plane nulla. Quod uero nunc ediſſero, argumentum, non minus graue eſt, non minus illuſtre, non ponderoſum minus. Quacunque reſpicias, PRINCEPS Vultu et Animo GRATIOSISSIME, ubique offendes, quod ſemper dulciſſimum reputas ſpectaculum, REGIS et REIPVBLICAE Laudem, ſimul, quod TIBI debetur, obſequium. Inde et, nunc peto, qua TIBI placeam, elegantiae laudem, inde commendationem.

Interim quanta quanta ſpes ſit, quam manifeſta etiam augurii fides, commendabilem fore ſcriptionem, neſcio, an ulla re diluere poſſim culpam, quod ſub illius auſpicio TE, REVERENDISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS,

compellare non dubitem, et TIBI, qui auro me locupletauiſti, plumbea rependam dicta. Aliquid tamen inuenio, quo tantae culpae fortaſſe partem diluam. Scilicet eſt ea, nulloque non fuit aeuo, reipublicae literariae conditio, et lex quaedam fundamentalis, ut omnes, quotquot eidem adſcripti ſint, literarum amore certent, pars tamen amorem illum liberalitate et munificentia, ceteri, cum alia re non poſſint, chartaceis ingenii monumentis, prodant. Illi Muſagetarum, Maecenatum, nomine ueniunt, (apud poſteros ZALVSCIORVM uenient nomine.) Hos umbratilem turbam uocamus, quae, tantum ſcribendo, rem literariam auget, cum illi augeant faciendo. TE uero, coeleſti quodam argumento, terris commodatum gloriamur, ut priorem claſſem ornes, Ipſe Literatiſſimus, ſimulque Liberaliſſimus Muſageta, Maecenas, et, quod Nomen aliquid illuſtrius ſonat, ZALVSCIVS. Me contra, ſi magnis parua componere fas eſt, for-

tuna

tuna huic turbae adicripſit, quae umbra et pulpito delectatur. Iam TV, INDVLGENTISSIME DOMINE, publico teſtatus es documento, imo non uno teſtatus es, ſed innumeris, quam ames literas, quoue ordine, qua claſſe, in republica literaria habearis. Liberalitate et auro ſemper certas prior, et, ut eo teſtatior ſit liberalitas, hanc nuper in me exercuiſti, qui tot terrarum tractibus ab Oculis TVIS remotus eram; non tamen ab Animo. Cum igitur res poſtulet, ut ego certem contra, ut modo grati animi quoddam extet argumentum, certo quidem, at non aliis certaminis inſtrumentis, quam charta, et ſterili uerborum ſono. Haec mea ſunt, quae rependo, munera, haec gratiſſimi animi argumenta. Praeſtantiora offerre uetat fundamentalis illa reipublicae literariae lex, uetat et perſona, quam in hac ipſa republica ſuſtineo, ſi quam modo ſuſtineo. Imo TV, PRINCEPS INDVLGENTISSIME, praeſtantiora non poſces, qui

id

id iudicare ſoles praeſtantiſſimum munus, quod candidum offerentis animum oſtentet, etiamſi minimo ceteroquin conſtet pretio. At animi mei candorem nulla non loquitur uocula. Candide ſcripſi. Candide, quod ſcripſi, offero. Nec minori poſthac candore in Laudibus TVIS perſcribendis uerſabor, qui in earundem contemplatione nullum non tranſigo diem, tranſacturus et reliquam, quae ſuppetet, aetatem. Tunc enim cum laude uixiſſe, tunc poſteritatis cauſam ſtrenue egiſſe, memorabor, ſi Laudis ZALVSCIAE partem exegero. Partem dico. Nam totam nec ego exigerem, nec alius quiſquam.

Dab. Vitembergae X. Calend. Maias A. G.

CIↃ IↃCCXLVII.